

Ernst Cothmann Johannes Casparus Rupertus

Disputatio Anniversaria, De Feudis

Rostochii: Myliandrus, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728315130>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 20. Nov. 1605

Cothman, Ern.

5
DISPUTATIO ANNIUER-
SARIA,

DE
FEUDIS.

Ad quam 26/

D. E. A. C.

Præsidente D. ERNESTO COTH-
MAN JC. & Codicis Iustiniani Professore
Ordinario.

Respondebit

M. JOHANNES CASPARVS RUPERTVS,
Heringensis.


Fiet Disputatio in Auditorio magno XX. Novemb.
hora 6. matutina.



ROSTOCHII
In Officinâ Typographicâ Stephani Mylandti,

ANNO M. DC. V.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



THESIS PRIMA.

Militibus apud Romanos stipendia
& tributa dari solita sunt, quorum illa
inde dicta fuerunt, quod per stipes & mo-
dica ara colligerentur, hæc, quod tributum
intribuerentur, vel, quod militibus tribuerentur.

II.

Postea militibus prædia sunt assignata, ex quibus sti-
pendia perceperunt, sed nihil eorum ad heredes transmit-
tebant, donec Constantinus Magnus pro militum uti-
litate sanciret, ut prædia ad heredes militum transirent,
& propria familiarum fierent sub lege militiae.

III.

Ad huius rei exemplum procedente tempore benefi-
cia dari & conferri ceperunt, ita ut qui ea possiderent,
beneficiati, vel inbeneficiati appellarentur.

IV.

Quæ & feôda vel foëda, itemq; feuda nominata,
& possessores eorum, Vasalli, clientes, inf feudati & in-
vestiti dicti sunt.

V.

Et initio personalia & temporaria fuerunt, sed post
ad heredes pleraq; transitoria & perpetua facta sunt.

VI.

Rectè igitur Gerardus de Nigro ab antiquissimo tem-
pore feudorum originem repetit.

VII.

De notatione nominis Feudi varij varia tradunt.

A 2

Alj d

Alij à foedere deducunt. Quidam à faida siue feida, hoc est, bello. Pleriq; à fedè h. e. fide. Nonnulli à foeden, quod pascere est, idq; magis probamus, cum in antiquis monumentis scriptum sit, Foedum, quamvis à fide quoque dici feudum posse haud negemus.

II X.

Feudum est Jus in praedio alieno, vel qua simili re sub lege Fidei & servitij concessum.

LX.

Et est vel proprium siue rectum, vel improprium siue degenerans, item aliud antiquum, paternum vel novum, aliud ex pacto & providentia, vel mixtum vel hereditarium, aliud seculare, aliud Ecclesiasticum, aliud Regale, aliud non regale, aliud masculinum, aliud femininum, aliud ligium, aliud non ligium, aliud Guardia, aliud Castaldia, aliud advocatia, aliud Camera, aliud Cavena, aliud soldata.

X.

Quae & similes feudorum species partim forma, partim gradibus, partim qualitatibus tantum differunt, & partim textibus Juris feudalis nituntur, partim docendi causa ab Interpretibus inventa sunt.

XI.

Res in feudum dant tam Ecclesiastica, quam seculares personae, tam masculi, quam foeminae, qui quævè suorum bonorum administrationem legitimam habent.

Acci-

XII.

Accipiunt res in feudum omnes & singuli, quibus ne accipant, nominatim non est interdictum.

XIII.

Hinc quaesitum est, an minores sine curatoribus suis feudum rectè accipiant, & se Domino feudi efficaciter obligent? Id affirmantium sententiam veriore & rectiore esse arbitramur.

XIV.

Quin & pupillus feudum rectè accipit, sed obligationis vinculum & iurisiurandi praestatio in pubertatis annos rejicitur.

XV.

Feudum non nisi in rebus soli, puta territorio, praedio, aut solo coherentibus, puta servitutibus, castro, & edificiis similibus, aut in iis, quae inter immobilia commutuantur, puta in annuis redditibus, consistit.

XVI.

Hinc quaesitum est, an pecunia in feudum dari possit, & utrum valeat pactio, quam fratres nobiles feuda dividentes interponere & divisioni adijcere solent, ut pecunia, quam frater unus vel alter ex feudo percipit, fratre isto sine heredibus mortuo, in feudum recidat & feudum sit? Recta est eorum sententia, qui utramque negant.

XVII.

Sanè consuetudine nonnullarum provincialium conventiones tales recepta sunt, & pecunia ex feudo precepta,

A3

velut

vetut corpus quoddam ad reditus perpetuos exponitur,
& pro feudo habetur. Secundum quàm consuetudi-
nem in Collegio nostro Juridico aliquoties pronuncia-
vimus.

XIIX.

Feudum sine investitura nullo modo constituitur.
Est q̄ investitura nihil aliud, quàm feudi cessio solennis
per Dominum Vasallo facta.

XIX.

Et hæc investitura propriè de novo feudo & de
prima investitura accipi debet, cum veteris beneficij
investitura non tam investitura, quam investitura re-
novatio & repetitio sit, & successores feuda à decessori-
bus suis iam accepta possideant, & investituram non ad
cedendum jus aliquod, sed ad jus, quod antè habent,
confirmandum petant.

XX.

Quia vero investitura interdum per possessionis tra-
ditionem, aliquando sine possessionis traditione fit, ex eo
alia impropria si vè abusiva, si vè civilis, alia propria, si
vè realis si vè naturalis dici cepit.

XXI.

Illæ fit verbo & signo, puta traditione vexilli, ensis,
hastæ, baculi, virgæ, annuli vè, vel porrectione manus
vel pilei apprehensione. Hæc nihil est aliud, quàm ve-
ra possessionis traditio.

XXII.

Quin & illa possessionem veram transfert, si, dum
feu-

feudum praesens est, & in conspectu, signum porrigatur.

XXIII.

Non enim semper necesse est, possessionem corpore & actu prehendere, sed etiam oculis & affectu.

XXIV.

Sed utrum Vasalli civiliter an verò naturaliter possideant, ambigua est disceptationis? Rectius arbitrantur, qui Vasallos feudum civiliter, rem in feudum datam naturaliter, sed feudi Dominum nullo modo possidere docent.

XXV.

Est verò etiam investitura alia simultanea, & ea vel Iuris communis, vel Iuris localis. Quae duae species inter caetera in eo differunt, quod de jure communi simultaneè investitus investituram petere non antè habeat necesse, quam ad ipsum successio sit devoluta; de jure autem locali, puta Saxonico, investitura simultanea etiam ante successionis delatæ casum quolibet tempore, quo vel Dominus feudi vel vasallus aliquis moritur, à simultaneè investitis petenda & accipienda sit.

XXVI.

Investitura de jure feudali fit coràm paribus Curiae, si vè curtis, si vè domus, h. e. coram con vasallis, idq; usus in plertisq; locis probat & sequitur.

XXVII.

Quid vero si pares absent? Hoc casu Gerardus extraneos testes recipiendos esse scribit. Quod cum Ober-

A4

to

to ita demum probandum est, si pares vel penitus nulli
sint, vel ita absint, ut commodè advocari & haberi ne-
queant.

XXIIX.

Investitura renovatio per Vasallum petenda est
intra annum & diem.

XXIX.

In omni autem investitura fidei promissio necessaria
est, quam hominum sive homagium & nostra lingua
Schutzpflicht nominamus.

XXX.

Quæ fidei promissio regulariter juramento corporali
asserenda & præstanda est, quamvis nonnunquam
Ius jurandum remitti possit & soleat.

XXXI.

Qui verò Domino suo jurat, ille sex in memoria
semper habere debet: Incolumè, tutum, honestum, utile,
facile, possibile.

XXXII.

Ceterum investitura quedam certa ac manifesta,
quedam præsumpta est, lapsu triginta annorum fulci-
ta & præscripta.

XXXIII.

Quæ præscriptio ita demum valet & consistit, si bo-
na fides adsit, possessio non interrumpatur, animus,
rem ad præscribendum habilem & idoneam, ut feu-
dum possidendi concurrat, servitium aliquod feudale
exhibitum sit.

Succes-

XXXIV.

Sucessione quoq; sicut investitura feudum acquirunt.

XXXV.

Succedunt verò in feudis masculi feminis exclusis. Nisi forsitan vel investitura, vel pacto, vel consuetudine feminei sexus personis de feudi successione provisum sit

XXXVI.

Sed an in feudo emptio femina jure succedat valde disceptatur? Probamus & sequimur sententiam eorum, qui id negant.

XXXVII.

Nec minus controversum est, utrum femina semel exclusa si vè non admissa semper & in perpetuum exclusa censeatur, nec unquam ad successionem admittenda sit? Verior & equior est sententia existimantium, feminam semel non admissam post casu adveniente minimè censeari exclusam.

XXXVIII.

Mutus, teste Gerardo Juris feudalis compilatore, feudum retinere non potest, scilicet, qui nullo modo loquitur.

XXXIX.

Atqui mutus & surdus, uti affirmat alius consuetudinū feudalium consarcinator, cæcus, claudus vel aliter imperfectus, etiamsi sic natus fuerit, totum feudum paternum retinebit. Obertus Gerardus & multi alii.

Qui.

Quidam tamen dicunt, eum qui talis natus est, feudum retinere non posse, quia ipsum servare non valet.

XL.

Porro succedunt in feudis descendentes, his deficientibus collaterales exclusis ascendentibus.

XLI.

Si defunctus patrum & fratris filios superstites relinquat, hos illi anteferri dicimus.

XLII.

Fratrum filij, si soli existant, diversi tamen numeri, non in stirpes, sed in capita succedunt.

XLIII.

His deficientibus proximior quisq; admittitur, & si plures sint proximiores, singuli singulas partes capiunt.

XLIV.

Si nulli sint collaterales agnati, feudum revertitur ad Dominum, neq; ulla successionis inter maritum & uxorem ratio habetur.

XLV.

Potest tamen vidua defuncti mariti jure detentionis uti & feuda retinere, donec ei de suo debito vel legali vel conventionali vel consuetudinario satisfactum sit.

XLVI.

Vasallo defuncto omnia quidem jura ad heredes transeunt, possessio tamen nisi naturaliter comprehensa ad eos non pertinet.

XLVII.

Feudum quomodocunq; acquisitum regulariter alienari

nari non potest, in tantum, ut ne quidem in dotem pro filia dari, neq; pro anima, vel in pias causas & usus conferri possit.

XLIX.

Subinfeudare tamen Vasallo feudum licet, si id fiat legitime, sincere & iisdem conditionibus, quibus acceptum erat feudum. Quod feudum nostro idiomate dicimus *Affterlehen*.

XLIX.

Finitur feudum rei interitu, morte Vasalli sine herede defuncti, prescriptione. Amittitur delicto sive culpa, qua vel in committendo vel in omittendo consistit.

L.

Dominis feudi uti & Vasallis actiones & interdicta competunt. His ad feudum promissum vel constituendum, vel ad constitutum adipiscendum, vel ad adquisitum retinendum, vel ad amissum recuperandum, illis ad rem in feudum datam vel vindicandam, vel ad id quod eorum interest petendum aut conservandum.



nari non potest, in tantum, ut ne quidem
filia dari, neq; pro anima, vel in pias ca
conferri possit.

XLHX.


Subinfeudare tamen Vasallo feudum li
legitimè, sincerè & iisdem conditionibus
ptum erat feudum. Quod feudum nos
dicimus *Affterlehen*.

XLIX.

Finitur feudum rei interitu, morte U
rede defuncti, prescriptione. Amittitur
culpa, qua vel in committendo vel in o
sistit.

L.

Dominis feudi uti & Vasallis acti
dicta competunt. His ad feudum promiss
tuendum, vel ad constitutum adipiscendu
quisitum retinendum, vel ad amissum r
illis ad rem in feudum datam vel vi
vel ad id quod eorum interest pe
ant conservandum.



the scale towards document